



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

**Parisiis, 1644**

Quid est Christus? Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15241**

140 CÆLESTINVS CONCILIVM THEODOSIVS IMP. VALENTIN.

CYRILLI ALEXANDRINI EPISCOPI  
SCHOLION DE VNIGENITI INCARNATIONE.

ANNO  
CHRISTI  
431.

*Quid est Christus? CAP. I.*

CAP. IV.

**C**HISTI nomen , nec definitionis vim obtinet, nec cuiuspiam substantiae, qualis sit, significat, sicut forte Homo , aut Equus , aut Bos ; sed rei magis, quæ in aliquo agatur , habet significationem. Oleo namque vngebantur quidam superiorum , iuxta quod Deo tunc temporis placebat : & signum regni illius erat vncio. Vngeban-  
*Psal. 104.* turi autem & prophetæ sensibiliter Spiritu sancto, ut inde quoque no-  
*Habac. 3.* minarentur christi. Denique beatus David psallit ex persona Dei , &  
*Isa. 45.* ait : *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.*  
*Rom. 5.* Ait autem & propheta Habacuc : *Existi in salutem populi tui, vt sal- uos facias christos tuos.* In Christo autem omnium saluatoris vncio-  
*Psal. 44.* nem quidem factam esse dicimus : ceterum neque symbolicam , quasi oleo factam , nec quasi in gratia prophetica ; sed nec illam , quæ in-  
*Ioan. 1.* telligitur fieri ad perfectionem alicuius huiusmodi negotii , quale fa-  
ctum esse dicimus sub Cyro Persarum & Medorum rege : contra Ba-  
bylonios enim ille duxit exercitum , instigante ipsum in id Deo om-  
nipotente. Dicitum est enim : *Hac dicit Dominus christo meo Cyro,*  
*cuius apprehendit dexteram.* Atqui ille vir cum esset idolorum cultor , nominatus est christus , ideo quod quasi vncius est in regnum cœlesti suffragio , & ordinatus est a Deo , vt Babylonem vehementer expugnaret. Illud autem magis de Christo. Quoniam enim propter Adæ prævaricationem regnauerat super omnes peccatum , & Spiritus ab humanitate discesserat, ob eamque causam in malis omnibus illa fue-  
rat constituta ; opus autem erat , vt rursus Dei misericordia in pristi-  
num reuocata , Spiritum mereretur ; homo factum est vñigenitum Dei Verbum , & cum terreno corpore terrenis apparuit. Fuit etiam liber a peccato , vt & in ipso , & in eo solo innocentiae laudibus natura hominis coronata , Spiritu sancto ditaretur , ac sic reformaretur ad Deum per sanctificationem . Transit enim ad nos quoque gratia \* correpta a Christo , qui est in nobis primogenitus : idque nos docet *f. acce-  
pti,* beatus David , psallens ad Filium : *Dilexisti iustitiam , & odisti iniqui-  
tatem : ideo vnxit te Deus, Deus tuus oleo leticie.* Vncius est igitur plena exemplo nostro Filius innocentiae laudibus , vt ante dixi , & in ipso natura hominis illustrata , & digna iam sortiri Spiritum sanctum non discessuram sicut antea , sed mansurum magis in ipsa. Ideoque scriptum est , quod descendit quidem in eum Spiritus , mansit autem super ipsum. Dicitur ergo christus Dei Verbum , quod propter nos nostri similis homo est factum , & in serui forma : & vngit autem diuine suos , eos nempe , qui in ipsum credunt.

*Qualiter intelligi debet Emmanuel. CAP. II.*

*Habr. 1.*

**E**MMANUEL nominatur Deus Verbum , quod Abrahæ semen apprehendit , & similiter ac nos participauit carni & sanguini.